

SERVIA, VALACHIA, &c.

decus dignitatemque præstat. Quippe hæc Turcis dicitur *Stompolda*, quasi ampla civitas. Secundum ab ea locum inter Thracias urbes obtinet *Hadrianopolis*, Turcis *Endrem* dicta, magna quidem atque ingens, at mœnibus haud cincta, ædificiisque vilibus exstructa. Tertia *Philippopolis* satis numerose culta, & habitata. Nec cedit huic *Trajanopolis*. *Sestus* & *Abydus* sibi invicem objectæ, claustra Turcici imperii in his oris perhibentur. Est in Thracia *Abdera*, *Democriti* patria.

Fluvii celebres Thraciæ sunt, *Nestus* seu *Nessus*, *Hebrus*, *Athyras*, *Bathynias*; in montibus *Hæmus*, *Rhodope* & *Orbelus* principatum tenent.

Quotquot vero per has regiones sub imperio Turcico positas Christianam religionem sequuntur, Græcorum se sacris accommodant, Bulgari, Servi, Bosni, Sclavoni, Illyrii, Albani, Moldavi, Valachi, Russi, Moscovitæ, Tartari, Circassi, Mengreli, cunctæque nationes Ponticæ, & Tartarorum interior pars. Princeps & inspector universæ Ecclesiæ Græcicæ est Patriarcha Constantinopolitanus, à quo dependent quotquot Græcicæ religionis Christiani per omnem Europam dispersi degunt. *Alexandrinus* in *Cayro* *Ægypti* urbe sedem habet, qui *Arabia* Ecclesias regit. *Hierosolymitanus* in *Syria* supremus agnoscitur. In reliqua *Asia* *Antiochenus*.

